Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

T. Livii Patavini Historicorum omnium Romanorum ... libri omnes

Livius, Titus

Francofurdi, 1648

Lib. VIII

urn:nbn:de:bsz:31-105429

Visual Library

LIB. VIII. EPITOME.

ATtilius Regulus in Africa ſerpentem portentoſæ magnitudinis cum maxima militum clade occidit. & cum aliquot prælijs aduerſum Carthaginienſes pugnaſſet: ſucceſſorque a ſenatu proſpere bellum gerenti non mitteretur: id ipſum per literas ad ſenatum miſſas conqueſtus eſt. in quibus inter cauſas petendi ſucceſſoris erat, quod agellus eius a mercenarijs deuaſtaretur. Quærente deinde fortuna vt magnum vtriuſque caſus exemplum in Regulo proderetur: accerſito a Carthaginienſibus Xantippo Lacedæmoniorum duce, victus in prælio, & captus eſt. Res deinde a ducibus Romanis omnibus terra marique proſpere geſtas deformauere naufragia claſſium. T. Coruncanius primus ex plebe pontifex maximus creatus eſt. M. Sempronius Sophus, Valerius Maximus cenſores cum ſenatum legerent: XIII. *ſenatu mouerunt: luſtrum condiderunt, quo cenſa ſunt ciuium capita* CCCXVII. *millia* CCXVII. *Regulus miſſus a Carthaginienſibus ad ſenatum, vt de pace, & ſi eam minime impetraret, de captiuis commutandis, ageret: iureiurando aſtrictus eſt, rediturum ſe Carthaginem, ſi commutari captiuos non placuiſſet. vtrumque negandi auctor ſenatui fuit: & cum fide cuſtodita reuerſus eſſet, ſupplicio a Carthaginienſibus de eo ſumpto, periit.*

LIB. IX. EPITOME.

CÆcilius Metellus, rebus aduerſus Pœnos proſpere geſtis, ſpecioſiſſimum egit triumphum: XIII. *ducibus hoſtium, & centum viginti elephantis in eo ductis. Claudius Pulcher* COS. *qui contra auſpicia profectus iuſſit immergi pullos, qui cibari nolebant: infeliciter aduerſus Carthaginienſes claſſe pugnauit, & reuocatus a ſenatu, iuſſusque dictatorem dicere, C. Glauciam dixit, ſortis vltimæ hominem: qui coactus abdicare ſe magiſtratu,*